

Ob-12

1894/95 W



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXIV

USQUE AD DIEM XV. MARTII ANNI MDCCCLXXXV

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT PROF. DR. ANTONII KRANICH COMMENTATIO APOLOGETICA:
ECCLESIA QUIBUS DE CAUSIS PER SE IPSA SIT MOTIVUM CREDIBILITATIS ET DIVINAE
SUAE LEGATIONIS TESTIMONIUM.

BRUNSBURGAE.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).
1894.



LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. JULIUS MARQUARDT

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. JULIUS MARQUARDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPIŃSKA
W TORUNIU

Bibliothek
des
Coppernicus-Vereins
zu THORN

1943:202

373-1441-2
POLSKA WYDAWNICZA

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
R E C T O R E T S E N A T U S
CIVIBUS SUIS

S.

**Ecclesia quibus de causis per se ipsa sit motivum credibilitatis
et divinae suae legationis testimonium.**

Fides christiana sive theologica, quamvis sit supernaturalis ac mysteria complectatur intellectum humanum prorsus excedentia, rationum tamen momentis innitur vel, ut ait s. Paulus Apostolus¹⁾, obsequium est rationabile (*λατρεία λογική*). Neque enim praepropere aut leviter credit christianus²⁾, sed quia prius rem cogitando perscrutatus sibi persuasit, esse aliquid credendum, non immemor divini illius verbi³⁾: „Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite.“ Quare merito s. Augustinus haec dicit⁴⁾: „Quis non videat, prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit, esse credendum“, et s. Thomas Aquinas⁵⁾: „Non (enim) crederet, nisi videret, ea esse credenda vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid ejusmodi“. Et quum Synodus Vaticana statuit canonem⁶⁾: „Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, a. s.“, nihil aliud docuit nisi quod jam s. Thomas sic diserte enuntiavit⁷⁾: „Haec enim divinae sapientiae decreta ipsa divina sapientia hominibus dignata est revelare, quae sui praesentiam et doctrinae et inspirationis veritatem convenientibus argumentis ostendit, dum . . . opera visibiliter ostendit, quae totius naturae superant facultatem.“ Ita prorsus; opera quaedam divina, res, facta, quae, si recte aestimantur, miracula ac prodigia vocantur, criteria sunt revelationis vel locutionis divinae et ideo, quamquam in factum atque objecta revelationis

1) Rom. 12, 1.

2) Cf. Ecclesiasticus 19, 4, ubi legitur: Qui credit cito, levis corde est.

3) Ioan. 10, 37.

4) De praedestin. SS. c. 2; cf. De vera relig. c. 24.

5) S. th. II. II. qu. 1. a. 4. ad 2; cf. I. c. qu. 2. a. 9. ad 3.

6) De fid. cath. c. III. can. 3.

7) C. Gent. 1, 6.

non praebent evidentiam intrinsecam, probant tamen illa esse evidenter credibilia atque credenda vel, ut verbis s. Thomae⁸⁾ utar, „non probant fidem per se, sed probant veritatem annuntiantis fidem.“ Unde sequitur, opera illa divina suo jure dici motiva credibilitatis, quippe quibus nos ad credendum disponamur atque moveamur. His tamen motivis credibilitatis perducti non solum revelationem divinam amplectimur, verum etiam Ecclesiam catholicam esse Ecclesiam Christi profiteamur, in qua „recluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo“⁹⁾ contineri Dominus ipse voluit. „Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita.“ Sed iis, quae modo commemoravimus motivis credibilitatis aliud eadem Synodus addit: „Quin etiam“, ait¹⁰⁾, „Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.“ Quo autem jure Ecclesia propter causas, quas enumerat Synodus, dici debeat motivum credibilitatis, hic paulo uberius exponere mihi liceat. Quae de re proposita disputaturus sum, si accuratius, Commilitones humanissimi, vobiscum reputaveritis, vos et ex hoc argumento fidem nostram confirmante gaudium quoddam capturos esse sperare mihi videor.

I.

Ac primum quidem admirabilem Ecclesiae propagationem consideremus quibusque de causis habenda atque praedicanda sit admirabilis, videamus. Sed haec quaestio, ut ad felicem exitum perducatur, non alio modo nisi historia duce instituenda est. Neque enim res, de qua agitur, posita est in occulto aut paucis quibusdam manifestata, sed prorsus palam facta atque, ut ita dicam, in conspectu gentium collocata. Jam Apostolos Domini Spiritu sancto repletos atque divini memores praecepti¹⁾: „Euntes (ergo) docete omnes gentes“²⁾, quum, ubicunque sanctum evangelium praedicabant, plurimos ad religionem christianam converterent, Ecclesiam brevi tempore late propagasse, nemo ignorat. Propagatio autem Ecclesiae Apostolicae quae dicitur, quali ex origine principioque profecta sit, facile inde colligere licet, quod, quum s. Petrus primo Jesum Christum praedicasset atque audientes ad poenitentiam agendam excitasset, „appositae sunt in die illa animae circiter tria millia“, et quod s. Paulus ad Colossenses gaudio plenus et triumphans scribere poterat³⁾: „Quod (i. e. verbum veritatis evangelii) pervenit ad vos sicut in universo mundo est et fructificat et crescit“ et ad Romanos⁴⁾: „Fides vestra annuntiatur in universo mundo.“

⁸⁾ In III. Sent. dist. XXIV. a. 2. ad 4. Adde quae Fr. Ferrariensis adnotat ad C. Gent. I, 6: Miraculorum operatio non sic fidem confirmat christianam, quasi particulariter videre faciant ea, quae sunt fidei, vera esse . . . sed movent voluntatem ad hoc, ut videns ea velit credere. Ex illis enim judicatur conveniens credere fidem praedicanti, quia ostendunt in universali, vera esse, quae praedicantur.

⁹⁾ Vatic. sess. IV.

¹⁰⁾ l. c. sess. III. cap. 3.

¹⁾ Matth. 28, 19.

²⁾ Act. Apost. 2, 41. cf. 4, 4: „Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia.“

³⁾ Col. 1, 15.

⁴⁾ 1, 8. Cf. Lact. De mort. persecut. II.

Quam late vero celeriterque Ecclesia deinde, i. e. saeculis proximis a Christo nato, propagata ac divulgata sit, cognoscitur ex libris scriptorum christianorum et ethnicorum, qui illa aetate vixerunt et quod oculis suis viderant, memoriae prodiderunt. Imprimis scriptores ecclesiastici quum factum propagationis religionis christianae admiratione satis dignum esse intelligerent, aequalium oculos ad hanc rem convertere non desierunt. Sed testimonia ipsa depromamus. Tertullianus quidem, acerrimus ille fidei christianae apologeta ac defensor ad imperii Romani praesides haec scribere potuit⁵⁾: „Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola templa reliquimus“. Et Arnobius apologeta⁶⁾: „Unde tam brevi tempore totus mundus ista religione completus est?“ Idem fere dicit s. Athanasius hisce paucis verbis⁷⁾: „Et, ut summatim dicam, attende, quomodo Salvatoris quidem doctrina per totum terrarum orbem diffundatur: contra autem universa idololatria et quidquid Christi fidei adversatur, quotidie decrescat debiliteturque et cadat.“ Identidem de rapida Ecclesiae propagatione loquitur Eusebius, pater qui vocatur historiae ecclesiasticae; exempli gratia haec ejus verba⁸⁾ subjicio: „Per omnes (igitur) civitates et vicos ecclesiae infinita hominum multitudine abundantes, velut areae quaedam frugibus refertae, brevi congregatae sunt“, et alio loco⁹⁾ legitur: „Iam vero quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in aedibus sacris, cumulate possit describere?“ Sed non opus est, plura ex libris auctorum ecclesiasticorum petere testimonia. Ea, quae modo laudavimus quaeque facile possunt multiplicari,¹⁰⁾ etiam majorem vim probandi habere videntur, si confirmari queunt argumentis ethnicorum ipsorum. Exstant vero ejusmodi testimonia ab adversariis nominis christiani infestissimis data. Commemoratu dignum videtur, quod Tacito teste¹¹⁾ „multitudo ingens“ existeret christianorum tempore illo, quo ipsi criminis incendii accusati sunt. Et Plinius junior ad Trajanum scripsit:¹²⁾ „Visa est mihi res digna consultatione maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur; non civitates tantum sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; . . . certe satis constat, prope jam desolata templa coepisse celebrari et sacra solemnia diu intermissa repeti. . . .“ Neque minus grave est quod enarrat Seneca¹³⁾: „Usque eo“, ait, „consuetudo convaluit sceleratissimae gentis (christianae), ut per omnes jam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt.“ Haec, quae auctores ethnici de propagatione Ecclesiae referunt, quamquam irae et odii contra religionem christianam sunt sat plena, admodum tamen apta atque idonea, quibus demonstretur factum, de quo hic nos quaerimus.

Quodsi historia teste factum celeris rapidaeque propagationis Ecclesiae tam certum est, ut nullo modo in dubium vocari possit, jam quaeritur, cur propagatio illa admirabilis praedicanda sit. Inter omnes constat, in vita humana unamquamque rem et virtutem eo majus habere pondus eoque majori esse admirationi, quo majores superet difficultates atque impedimenta obsistentia.

⁵⁾ Apolog. c. 37. n. 124; cf. n. 125, adv. Jud. c. 7.

⁶⁾ Adv. gentes lib. I, 55. Cf. Origines c. Cels. I 27.

⁷⁾ De incarnat. Verbi divini n. 55, cf. n. 30.

⁸⁾ Histor. eccles. II, 3 (Migne tom. XX).

⁹⁾ L. c. VIII, 1.

¹⁰⁾ Cf. Lact., Instit. div. I. 5. 2. Justin. dialog. cum Tryph. n. 117; Iren. adv. haer. I, 10. Clem. Alex. Coh. ad graec. 10, alios.

¹¹⁾ Annal. XV, 44.

¹²⁾ Ep. X.

¹³⁾ Apud s. Augustinum, de civit. Dei VI, 11.

Quid autem? Num fidem christianam, nullo obstante, nullo adversario divulgatam esse putemus! At si cui unquam rei, certe fidei christianae propagationi innumerabilia fere obstacula atque impedimenta resistebant; quae quanta qualisque naturae fuerint, nunc videamus.

Atque, ut id primum scrutemur, doctrina christiana, nonne per se ipsa magnum propagationi suae impedimentum opponere videbatur? Annon dogmata christiana, quae superant rationem, ethnicorum animos magis deterruisse quam allexisse et movisse arbitremur? Sane ita. Loquor de rebus fidei rationi humanae imperviis. Sed quid dicam de religionis christianae legibus ac praeceptis, quae ad mores pertinent? Num, si modo humano loquimur, ethnicos leges illas morales facile tamquam ducem vitae secuturos esse licebat exspectare? Cave, lector humanissime, ne de indole ac natura humana lapsa eaque cultu religionis ethnicae obscuro atque turpissimo corrupta ac depravata nimis bene iudices! Id quidem non nego, saepenumero fuisse ethnicos, qui, quando virtutes quasdam ut justitiam, temporantiam, benevolentiam, liberalitatem in christianis inesse videbant, religionem christianam ipsam admirari aut aliquatenus magni ducere cogentur. Sed virtutum illarum, quae beatitudines aut consilia evangelica vocari solent quasque Ecclesia plus minusve praecipit comparandas possidendasque, sanctitas ac sublimitas studiis moribusque ethnicorum adeo erat opposita, ut vel permagnum impedimentum propagationis fidei christianae haberetur. Neque dubito dicere, virtutes quasdam, ut humilitatem, abnegationem sui, amorem inimicorum, castitatem, quum conspicerentur in christianis, ab ethnicis plerisque in numero vitiorum potius quam virtutum esse habitas. Cujus rei testis est Minucius Felix, apud quem sic legitur:¹⁴⁾ „Nonne Romani sine vestro Deo imperant, regnant, fruuntur orbe toto, vestrique dominantur? Vos vero suspensi interim atque solliciti, honestis voluptatibus abstinetis: non spectacula visitis, non pompis interestis; convivia publica absque vobis, sacra certamina, praecertptos cibos et delibatos altaribus potus abhorretis. Sic reformidatis deos, quos negatis. Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis: reservatis unguenta funeribus, coronas etiam sepulcris denegatis, pallidi, trepidi, misericordia digni, sed nostrorum deorum (hi enim suos juvant, dum vester vos deserit): ita nec resurgitis miseri, nec interim vivitis. Proinde si quid sapientiae vobis aut verecundiae est, desinite coeli plagas et mundi fata et secreta rimari. Satis est pro pedibus aspicere, maxime indoctis, impolitis, rudibus, agrestibus: quibus non est datum intelligere civilia, multo magis denegatum est disserere divina.“

Et Christus ipse, auctor religionis christianae, quia in cruce vitam finiverat, item ac doctrina ejus apud ethnicos contemptus erat, id quod propagationi Ecclesiae christianae vel maximum obstaculum evasit.¹⁵⁾ Huc accessit aliud, quod hic non silentio praetereundum est. Ethnici enim contra christianos eorumque doctrinam et cultum divinum atrocissimas ac turpissimas dispersebant calumnias; unde factum est, ut christianorum religio tamquam vana et demens superstitio despiceretur atque illuderetur. „Audio“, ait Caecilius ethnicus in Minucii Felicis libro qui „Octavius“ inscribitur¹⁶⁾, „eos (christianos) turpissimae pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari. Digna et nata religio talibus moribus. . . . Infans farre contactus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui sacris imbuatur. Is infans a tirunculo, farris superficie quasi ad innoxios ictus provocato, coecis occultisque vulneribus occiditur: hujus, pro nefas! sitienter sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispartunt, hac foederantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur. Haec sacra sacrilegiis omnibus tetrora.“ Sed non est, quod plura afferamus; jam vides, ab ethnico doctrinam christianam, quae est de s. Eucharistia quaeque pertinebat ad disciplinam arcani calumniando detorqueri. In quantum autem calumniae ejusmodi propagationi Ecclesiae obfuerint, certe est facile intellectum.

¹⁴⁾ Octavius, n. 12; edit. H. Hurter, Ss. Patrum opusc. select. XV.

¹⁵⁾ l. c. n. 9; cf. Arnob. adv. Gent. I, 36. Orig. contr. Cels. I. 26, 27. II. 5, 8, 9.

¹⁶⁾ n. 9. cf. Tert. apolog. c. 9. et 17; Iust. Apol. I. 6.

Graviora tamen quam ea quae usque hac commemoravimus impedimenta propagationi fidei christianae objiciebantur ab iis ethnicis, qui aut ingenio et doctrina aut potentia opibusque pollebant. Illi quidem, qui literis artibusque erant eruditi sive philosophi, praesertim quum magis superbia elati quam desiderio veritatis commoti in literis versari viderentur, adeo religioni christianae adversabantur, ut eam „superstitionem exitiabilem“¹⁷⁾, „amentiam“¹⁸⁾, „dementiam“¹⁹⁾, „furiosam opinionem“²⁰⁾, appellarent eamque quam acerrime impugnarent. In eorum numero habeo Celsum, Philostratum, Porphyrium, Lucianum, Julianum, alios. Sed maximam vim, qua resisterent adversus Ecclesiae propagationem, habebant adhibebantque ii, qui rem publicam administrabant²¹⁾; ethnici atque imprimis Romani quum rem publicam ejusque institutiones a diis ipsis conditas putarent atque protectas²²⁾, quicumque religionem ac venerationem deorum evertendam suscepit, rem publicam e medio tollere existimabatur ac suspicionem criminis laesae majestatis effugere vix potuit. Ita factum est, ut christiani „homines deploratae, illicitae et desperatae factionis“ dicerentur et vocem illam audirent: „Non licet vos esse“. Immo vero, quod maxime pertimescendum erat, accidit: adversus Ecclesiam immanis et crudelissima persecutio exorta est, quae per tria fere saecula durabat; sed de hac re copiosius disserendi posthac offeretur occasio.

Quodsi religionem christianam, quamvis impedimenta ac difficultates, quibus nullae excogitari possunt majores, undique obstarent, jam altero saeculo post Christum natum non solum hic illic fuisse notam, sed per magnam orbis partem fuisse propagatam legimus recteque perpendimus, cum s. Chrysostomo²³⁾ fatebimur: „non esse puri hominis, tantum orbem, terram, mare tam brevi tempore pervadere et ad tantas res evocare, cum maxime tam absurdis moribus assueti homines essent et tot malis irretiti“. Et hoc certe licet affirmare, non sufficere opinionem eam, quae tantum effectum referat ad vires causasque mere humanas ac naturales; namque effectui aequalis sit causa necesse est; quare consequens est, Ecclesiam esse institutionem divinam ejusque propagationem peractam esse ope supernaturali vel Christo ipso Domino et Deo adjutore, qui eam condiderat ad totum genus humanum de potestate diaboli salvandum. Iterumque assentior s. Chrysostomo Doctori, qui haec scribit²⁴⁾: „Et tamen potuit ille (Christus) humanum genus ab his omnibus liberare, non Romanos tantum, sed Persas et omne barbarorum genus“.

Iam vero ut etiam magis cluceat, admirabilem fuisse Ecclesiae propagationem, ratio habenda est mediorum atque subsidiarum, quibus sancti Apostoli eorumque successores ad metam assequendam usi sint. Triplex quidem in ordine rerum naturali potestas esse videtur, qua nixi homines magnas res gerere solent. Qui enim pollent acumine ingenii eruditique sunt literis artibusque, facile sibi conciliant aliorum animos solentque consociare ad rem quam persequuntur complectendam plurimos; nam unusquisque nescio quo modo permulcetur elegantia loquendi atque movetur operibus, quae ex studiis humanitatis ac literarum nascuntur. Quid vero Christus? Quid Apostoli eorumque successores? Christus quamquam summa, principium, fons omnium scientiarum erat, nequaquam voluit, ut religio, quam docebat, propagaretur atque stabiliretur sapientia humana literisque philosophicis. Et lex quaedam praedicatoribus evangelii in his divinis verbis est posita: „Non in sublimitate sermonis aut sapientiae . .

17) Tacit. Ann. XV, 44.

18) Plin. ad Traj. 1.

19) Tertull. Apolog. I.

20) Minuc. Felix., Octavius, 1.

21) Origenes, c. Cels. I, 3.

22) Minuc. Felix, l. c. c. 6.

23) Quod Christus sit Deus 1. Edid. H. Hurter, XV. Origenes, c. Cels. I, 27.

24) l. c.

non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei.²⁵⁾ Recte igitur s. Chrysostomus sic²⁶⁾: „Haec fecit (Christus) principio per undecim viros, ignobiles, viles, ignaros, idiotas, pauperes, nudos, inermes, calceis carentes, una tunica tectos“. Etenim „placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes . . . nos (autem) praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam“.²⁷⁾ Ita re vera „quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea, quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret“.²⁸⁾

Porro permagnam vim ad exsequendam aliquam rem splendidam ac sublimem esse in opibus, in divitiis, in potestate, in gladio, nemo negat. Propagationem Ecclesiae hujusmodi mediis atque subsidiis patrata esse, numquid acceperimus? Apostoli necnon eorum successores evangelium Christi praedicantes atque Ecclesiam divulgantes a vi ac violentia adhibenda adeo abhorrebant, ut ne cogitarent quidem tale quidquam. O investigabiles vias Domini! Ille, qui beato Petro Apostolo imperaverat hoc²⁹⁾: „converte gladium tuum in locum suum“, orbem terrarum subiecit sibi „non armis usus, non sumptibus, nullis exercitibus, non commissis proeliis“.³⁰⁾ Et optime s. Ambrosius „adverte“, inquit,³¹⁾ „coeleste consilium; non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores et publicanos, quos dirigeret, elegit (Christus), ne traduxisset prudentia, ne redemisset divitiis, ne potentiae nobilitatisque auctoritate traxisset aliquos ad suam gratiam videretur, ut veritatis ratio, non disputationis gratia praevaleret“.

Ac christianos non solum nomen christiani vel externum quendam christianorum habitum ac vivendi morem sumpsisse, sed paganismo deserto mentes ac mores prorsus mutasse secundum illud³²⁾: Renovamini (autem) spiritu mentis vestrae et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis“, quum ex iis, quae hactenus exposuimus, tum maxime inde apparet, quod nulla re, ne cruciatibus quidem maximis de fide sua amoveri poterant, id quod Origenes testatur hisce verbis³³⁾: „Sermo Dei, qui per illos mutabat, quos natura et consuetudo ad peccatum trahebant; et quos ne poenis quidem quisquam hominum correxisset, hos correxit, efformavit, ad suam voluntatem convertit.“ et s. Chrysostomus³⁴⁾: „Persuadere potuit (Christus) tot hominum gentibus, ut non de praesentibus tantum, sed etiam de futuris philosopharentur, utque patrias leges evellerent, veteresque mores tanto tempore radicos tollerent aliosque substituerent, qui ab assuetis et facilibus ad difficiliora ejus praecepta traducerent . . . Qui ipsis lupis ferocios erant, accepta praedicatione ovibus mansuetiores evasere: jamque de immortalitate et ineffabilibus bonis philosophantur“, et alio loco³⁵⁾: „Quod omnes olim exhorrescebant, ejus nunc figura ita certatim exquiritur ab omnibus, ut ubique reperitur apud principes et subditos, apud mulieres et viros, apud virgines et nuptas, apud servos et liberos“.

²⁵⁾ I. Cor. 2, 1—5.

²⁶⁾ I. c.; Origenes, l. c. III, 39.

²⁷⁾ I. Cor. 1, 21 et 23.

²⁸⁾ I. c. 1, 27—28.

²⁹⁾ Matth. 26, 52.

³⁰⁾ Chrystom., l. c.

³¹⁾ In Luc. 5, n. 44. Origenes. l. c. I, 29.

³²⁾ Ephes. 4, 23—24.

³³⁾ C. Cels. III, 68; cf. Tertull., de spect. 29. Origenes, l. c. VIII, 47.

³⁴⁾ I. c.

³⁵⁾ I. c. n. 9; cf. 12.

Denique si respexeris, quantopere saepe laborandum sit, ut aliquis perditus ac nefarius a turpi vita ad virtutem redeat, eo clarius intelleges, quam arduum sit, totum populum vel totam civitatem religione christiana ita imbuere, ut virtutibus effulgeat ac fere societas sanctorum appellanda esse videatur. Atque s. Chrysostomus, quo vix alius triumphum s. Crucis melius illustravit, haec scribere ausus est verba³⁶⁾: „Crux orbem enim terrarum, qui quoad virtutem sterilis erat nec melius se habebat, quam desertum, quum non posset quidquam boni parere, statum paradysum et matrem fecundissimam effecit“.

Sed jam satis ex iis, quae modo diximus, cognosci potest, quae media Apostoli et successores eorum ad propagandam Ecclesiam adhibuerint, quae non. Quid igitur? Si rem accurate ponderamus, iterum atque iterum nobis fatendum est, effectum esse ante oculos positum permagnum, perennem, perfectum, quem, nisi insania quadam capti principium causalitatis negare velimus, ad causam divinam ac supernaturalem referre et ideo vere admirabilem praedicare debemus. Et arridet nobis quod Origenes de hac re sic exponit³⁷⁾: „(Et) sane si de prima Christianorum constitutione verisimilis habendus est sermo, dicemus probabile non esse Apostolos, plebejos et sine literis viros ad religionem christianam hominibus annuntiandam alia re confisos esse quam collata sibi potestate et gratia, quae eorum praedicationis comes erat, ut annuntiata ab ipsis doctrina reciperetur; nec eorum auditores a patriis institutis iisque vetustate confirmatis abduci et ad dogmata tam insolita, tam aliena ab iis, quibus innutriti fuerant, suscipienda induci potuisse, nisi mirifica quadam potentia rebusque prodigiosis moti fuissent“.

Neque tamen ignoro, esse qui quum nihil divini, nihil admirabile esse arbitrentur, propagationem Ecclesiae non nisi ex causis et momentis naturalibus, quae nexum habuerint cum statu illorum temporum, profectam esse putent. Proferamus igitur adversariorum illorum argumenta et, qualia sint examinemus. Objiciuntur autem fere haec: Aetate illa multae res et causae ordinis naturalis concurrerunt, quae ad religionem christianam cito lateque propagandam permultum conferrent. In imperio Romano, quod, remotis illis arctis limitibus, qui gentes ac nationes singulas separabant, communi omnes vinculo jungebat, praeconibus s. evangelii aditus quoquoersus patebat facileque erat semen verbi divini longe lateque disseminare. Philosophia ejusmodi erat, ut ejus sectatores contemptui essent reque desperata non inviti ad amplectendam fidem christianam ipsi transirent aliosque perducerent. Praeterea multi erant, qui salutem hominum mox aliunde venturam sperabant, praesertim quum mores plurimorum tam nobilium quam servorum imprimisque feminarum adeo esse depravatos animadverterent, ut pertimescerent, ne societas Romana labefactata esset peritura, nisi remedium afferretur aliunde. Denique novitas religionis christianae apta erat, quae aliorum animos ad se alliceret. Sic ac similiter argumentantur cum Gibbon alii increduli.³⁸⁾ Quid respondendum? Difficultates objectae, si quae sunt, ex parte jam iis, quae supra explanavimus, diluuntur. Revera falluntur adversarii nostri: dum nos impugnant, pugnant pro nobis. Annon quae ad religionem christianam dilatandam valere dicunt, maxima saltem ex parte impedimenta propagationis Ecclesiae fuisse, satis intelleximus? Ut alia omittamus neve repetamus, quae diximus, philosophos, si forte aliquos excipias Platonicos, teste s. Augustino³⁹⁾ adversarios fuisse Ecclesiae acerrimos constat. Stoici quidem et Epicurei, qui primis Ecclesiae saeculis primum inter eos locum tenebant, valde ab institutis christianis abhorrebant. Ceterum concedi potest, praedicatores christianos, disponente divina providentia, ex statu societatis

³⁶⁾ l. c., cf. n. 12.

³⁷⁾ C. Celsum, VIII, 47.

³⁸⁾ Cf. Perrone, Praelect. theolog. I. p. 119.

³⁹⁾ De vera religione c. VII.

ethnicae miserrimo, qualis tum erat, adjumentum quoddam ad suam rem assequendam cepisse; sed causae naturales nequaquam sufficiunt ad explicandum factum, de quo est quaestio. Postulatur potius causa adaequata, quae nisi divina ac supernaturalis est nulla. Recte igitur s. Chrysostomus.⁴⁰⁾ „Quemadmodum quum (Deus) dixisset in principio „Crescite et multiplicamini et replete terram“, universam terram sermo pervasit; ita et postea „Ite et docete omnes gentes“, et „Praedicabitur evangelium hoc in toto mundo“ (Matth. 26, 13) atque ipsos etiam fines orbis terrae brevi momento temporis jussus ejus occupavit.“

Postremo si quis dicat, etiam falsas religiones, ut Brahmaismum, Buddhaismum, Mohammedanismum, alias, celeriter lateque esse divulgatas, non difficile est hoc refutare. Concedo factum propagationis; quo tamen non aliud probatur, quam trahi hominem religionis cujusdam consortium cum Deo efficientis desiderio. Sed si et impedimenta superanda et media adhibita respexeris ac ponderaveris, facile, credo, concedes: cum propagatione religionis christianae non posse comparari propagationem illarum religionum, illam admirabilem, hanc fuisse mere naturalem.

At, quoniam Ecclesiae propagationem admirabilem fuisse demonstrare propositum mihi est, forte aliquis miretur, miracula ac prodigia illa, quae omni tempore comitabantur praedicationem s. evangelii, a me esse adhuc neglecta. Verum quidem est, signa ejusmodi ad nostram rem probandam esse validissimum argumentum; et si miracula a praeconibus verbi divini necnon ab aliis christianis patrata esse satis constat, etiam concedendum est, ex miraculis illis divinis non parum utilitatis exortum esse divulgationi religionis christianae, ac proinde divulgationem ipsam aliquatenus dicendam esse admirabilem; qualis enim causa, talis effectus. Atqui unaquaque Ecclesiae aetate atque primis potissimum saeculis multa esse facta miracula, tot scriptorum testimoniis comprobatum est, ut nisi qui omnia historiae documenta in dubium vocaverit, veritatem illam diffiteri non possit. Nam s. Irenaeus: „Non est“, inquit,⁴¹⁾ „numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens in nomine Christi Jesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit“, et iterum⁴²⁾: „Quemadmodum et multos audivimus fratres in Ecclesia prophetica habentes charismata et per Spiritum universis linguis loquentes et abscondita hominum in manifestum producentes ad utilitatem et mysteria Dei enarrantes.“ Ut breviter dicam, testimoniorum plenae sunt historiae vitaeque Sanctorum. Sed quia non desunt, qui miraculum possibile esse omnino negent, in hac commutatione mea argumento de miraculis sumpto non nimium ponderis tribuendum esse dixerim. Quamquam incredulis illis haec s. Augustini objicio consideranda verba⁴³⁾: „Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur resurrectionem atque ascensionem Christi praedicantibus, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.“

Quae hucusque disputavimus, quoniam praecipue spectant ad primaevae Ecclesiae admirabilem propagationem, fortasse aliquis quaeret, quid dicendum sit de Ecclesia eorum quae secuta sunt saeculorum. Facile esset, si daretur occasio, ostendere, Ecclesiae propagationem omni aetate non aliam fuisse ac primis saeculis christianis neque minus admirabilem. Si revolveris documenta illius historiae ecclesiasticae partis quae missionum ut dicunt narrat historiam, facile accedes mihi in iis quae dixi. Exempli gratia in memoriam tibi revocetur quod de religione catholica apud gentes Japoniae et Indiarum per s. Franciscum Xav. divulgata nobis enarratur. Sed supervacaneum est singula persequi.

⁴⁰⁾ In psalm. 147, n. 4.

⁴¹⁾ Adv. haeres, II, 32.

⁴²⁾ l. c. V, 6.

⁴³⁾ De civ. Dei XXII, 5.

Id certe maxime refert, ut primaevae Ecclesiae propagationem admirabili modo et ope divina ac supernaturali peractam esse probetur, siquidem, qualis cujusque naturae institutum unumquodque sit, potissimum ex ejus primordiis elucet. Atqui de primaeva Ecclesia quod mihi proposueram, satis demonstrasse videor. Pro certo exploratoque habendum ergo est, Ecclesiam ob admirabilem propagationem omnibus temporibus per se ipsam fuisse ac per se ipsam esse motivum credibilitatis ac testimonium suae divinae legationis irrefragabile.

II.

Iam ad alteram commentationis meae partem transeo. Seligo autem eam quam Synodus ultimo loco ponit causam prae ceteris nunc exponendam, quia hanc cum admirabili propagatione Ecclesiae artissime cohaerere censeo. Agendum igitur est de invicta Ecclesiae stabilitate; praemoneo autem, et in hac re opus fore, ut praecipue primaevae Ecclesiae rationem habeamus. Nam profecto intelligemus, si per tria prima saecula permanserit Ecclesia invicta, eo magis confitendum esse illi Domini Jesu Christi verbo⁴⁴⁾: „Ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalent adversus eam“. Sed videamus, qua ratione Ecclesia invictam se exhibuerit.

Si vero cernimus, Ecclesiam id unum agere, ut omnes homines beatos reddat in coelumque ducat, paene incredibile esse videtur, quemquam ei adversari eamque premere ac vexare posse. At heu mirum! Facilius arenam maris numero complectereris quam Ecclesiae hostium multitudinem. Inter eos habendi sunt omnes qui religionem christianam ex parte aut totam negantes in Ecclesiam delendam cogitationes suas abjecerunt, nempe Judaei, gentiles, haeretici, schismatici, Mohammedani, increduli cujusvis generis, quin immo isti qui etsi nomen catholicorum profitentur, reapse aut pravis ac nefariis moribus aut factionem aliorum Ecclesiae hostium sequentes Ecclesiam matrem vulnerant, fidelibus scandalum parant, infidelibus pertinaciam perversae voluntatis adaugent. Si quis annales historiae ecclesiasticae revolvere ac perlustrare voluerit, quam pertinaciter illi prope innumerabiles hostes saepe sive singuli sive consociati Ecclesiae premendae operam dederint, perspiciet. „Hi“, ait concinne Perrone⁴⁵⁾, „sive seorsum, sive conjunctis viribus, eam oppugnarunt tum aperta vi dirissimis scilicet in eam ejusque ministros excitatis persecutionibus, tam calamo ac publicis typis undique argumenta conquirentes non solum ex historia, antiquitate, chronologia, physica, mathesi, astronomia, therapeutica, geologia, sculptura, pictura, poësi etc. adeo ut vix humanae scientiae vel artium liberalium pars aliqua sit, qua abusi non fuerint, et ex qua identidem arma non desumpserint, ut Ecclesiae extremam perniciem inferrent“. Huc accedit, quod hostes Ecclesiae saepe favore ac potentia principum adjuti usque eo audaciae progressi sunt, ut ne a vi quidem adhibenda, si ad finem suum assequendum aptam putarent, abhorrerent. Eadem igitur media, quibus usi ethnici primorum christianorum saeculorum Ecclesiam nascentem ac primos quasi gressus facientem suppressere studebant, ad Ecclesiam, postquam est propagata, evertendam adhibebantur, scilicet vis, opes, scientia, gladius, nec non fraudes, calumniae, mendacia, corruptio, seductio cujusvis modi. Ex quorum mediorum natura ac ratione colligere licet, hostes Ecclesiae arte quadam et consilio tela atque arma sua in omnem, ut ita dicam, ejusdem regionem tulisse neque ulli ejus institutioni pepercisse: dogmata, ritus, praecepta moralia, disciplina detorquebantur atque illudebantur; denique quidquid Ecclesia possidet ac tuetur, in discrimen sunt data, ne

⁴⁴⁾ Matth. 16, 18.

⁴⁵⁾ Praelect. theolog. I, p. 126.

materialia quidem bona ecclesiastica manebant intacta. Et errore duceretur is, qui pericula illa atque impetus impugnationesque ter quaterve contra Ecclesiam exorta putaret: neque vereor affirmare, fuisse a primordiis Ecclesiae usque ad dies nostros vix unquam temporis spatium, quo ipsa ubique pace fruita ac gavisita sit.

Et Ecclesia ipsa quid egit, quomodo se defendit, quibus armis in bello sibi illato usa est? Christiani, Christi milites, quomodo pugnarunt? Respondeo cum s. Augustino⁴⁶⁾: „Orando, patiendo, cum pia securitate monendo leges, quibus damnabatur christiana religio, erubescere compulerunt mutarique fecerunt“. Et revera, prima vivendi lex Ecclesiae est patientia; ejus arma extra patientiam quasi nulla: odio charitatem opponebat, pro persecutoribus orabat et cruciatus orans sustinebat; si arguebatur, benedicebat. Ita hodie, ita heri, ita nundius tertius; ita hic, ita illic.

Quas omnes allatas res dummodo leviter ponderemus, nonne mirum esse videtur, Ecclesiam etiamnunc existere, quin florere, per decursum temporum magis magisque esse auctam, confortatam, stabilitam? Jam dudum profecto dissoluta foret, nisi ipsa esset opus Dei. Quum vero, ut erat oppugnata, ita semper per omnia discrimina ac pericula pertransiret victrix, et, quamvis saepe pressa multis filiis orbaretur, damnum in aliis regionibus mox reparans e pugna prodiret corroborata, et splendidiore majestate induta,⁴⁷⁾ profecto consequens est, ut, nisi desipere velimus, fateamur, eam esse ex Deo ac Deo adjuvante vivere atque conservari.

Forsitan et hic quispiam nos revocet ad paganismum, Iudaismum, Mohammedanismum, alias falsas religiones. Nequaquam negamus, illas religiones per diu mansisse; sed hoc factum esse, non est mirum, siquidem Iudaismum, quem Deus vult manere,⁴⁸⁾ excipimus. Conservationem illorum religionis generum cum invicta stabilitate Ecclesiae catholicae propterea non licet comparare, quod neque Ecclesiam catholicam doctrina, disciplina morali, cultu aequiparant, neque aut passae sunt graviores adversitates aut caruerunt praesidiis externis.

Ne quid tamen argumentationi nostrae, quae pertinet ad invictam Ecclesiae stabilitatem, desit, vel maxime ac speciatim respiciendum est medium illud, quo adhibito ethnici atque imprimis hostes Ecclesiae primaevae sperabant se posse totam religionem christianam ejusque confessores omnes ad unum delere; dico martyrium. Proh Deus! quis potest eloqui, quot cruciatus, quanti dolores, quanta tormenta hac una voce martyrii comprehendantur. Haud scio an, ut stabilitatem Ecclesiae laudibus efferam eamque, ut par est, illustrem, quidquam melius facere possim quam si paulo fusius dissero de martyrio, quod subierunt christiani primaevae Ecclesiae, quoque vix fingi potest quidquam crudelius atque atrocius. Imperatores enim Romani ipsi sibi proposuerant fidem christianam funditus tollere. Ad hunc finem spectasse omnes leges contra religionem christianam datae, multaque ac varia tormenta excogitata, scriptorum christianorum et ethnicorum comprobatur testimoniis. Ejusmodi lex cognoscitur ex his Lactantii verbis⁴⁹⁾: „Propositum erat edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis subjecti essent ex quocumque ordini aut gradu venirent, adversus eos omnis actio caleret⁵⁰⁾, ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent, libertatem denique ac vocem non haberent“. Contra christianos habebat vim etiam illa lex, quae

⁴⁶⁾ De civ. Dei VIII, 20.

⁴⁷⁾ Cf. Chrysost. l. c., ed. Hurter, adnotat. p. 161 sq.

⁴⁸⁾ „Der Bestand des Judenthums ist selbst ein Werk besonderer providentieller Fügung, die Erfüllung der Weissagungen des Herrn und des Apostels (Röm. 11, 26 sq.) zum bleibenden Zeugnis der Göttlichkeit des Christenthums, bis auch für Israel die Stunde der Erlösung geschlagen hat.“ Hettinger, Fundamentaltheologie I, p. 378.

⁴⁹⁾ De mort. persecut. c. X'II. Edid. H. Hurter.

⁵⁰⁾ Ad haec verba adnotat, Hurter: omnis actio, accusatio forensis caleret (al. valeret) vim haberet.

nobis occurrit apud Ciceronem:⁵¹⁾ „Separatim nemo habessit deos: neve navos, sed nec advenas, nisi publici adscitos colunto“. Iis vero, qui defecturi essent de fide, proponebantur deliciae, voluptates, honores, dignitates, praedia, officia publica. Atque quomodo leges illae ex. gr. sub Galerio exercitae sint, liquet ex his ejusdem Lactantii verbis⁵²⁾: „Furebat (ergo) imperator jam non in demesticos tantum, sed et in omnes et primam omnium filiam Valeriam conjugemque Priscam sacrificio pollui coëgit. Potentissimi quondam eunuchi necati, per quos palatium, et ipse ante constabat (tutus erat). Comprehendi presbyteri ac ministri, et sine ulla probatione ad confessionem⁵³⁾ damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus et aetatis homines ad exustionem rapti. Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, sed gregatim circumdato igni amiebantur; domestici, alligatis ad collum molaribus, mari mergebantur. Nec minus in ceterum populum persecutio violenter incubuit. Nam iudices per omnia templa dispersi, universos ad sacrificium cgebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabantur“. Denique auctor noster exclamat⁵⁴⁾: „Vexabatur ergo universa terra et praeter Gallias, ab oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant.“ Sed haec sufficiant, unde colligatur, quale quantumque martyrium christiani illis saeculis sustinuerint. Neque vero admirari possumus, si „multitudinem ingentem“ fuisse eorum qui sub Nerone martyrio necati sunt⁵⁵⁾, „plurimos“ sub Domitiano christianos fecisse martyrium⁵⁶⁾, „innumeram fuisse multitudinem“ eorum qui sub Diocletiano passi sunt⁵⁷⁾, scriptores, de quorum fide non dubitatur, nobis referunt.

Quae omnia quamquam ejusmodi erant, tantum aberat, ut christiani vincerentur atque deleterentur, ut in dies eorum numerus admodum augetur. Audiamus enim Tertullianum: „Cruciate“, inquit⁵⁸⁾, torquete, damnate, atterite nos . . . Plures efficimur quoties metimur a vobis: semen est sanguis christianorum“. Adde quod jam auctor ille „Epistolae ad Diognetum“ scribit⁵⁹⁾: „Non vides (christianos) objectos feris, ut abnegent Dominum et non vinci? Non vides, quo plures supplicio afficiantur, tanto majorem fieri numerum reliquorum?“ Et diserte Theodoretus⁶⁰⁾: „Sicut lignatoribus silvam caedentibus multo plures pullulant propagines ab radicibus, quam sint rami qui inciduntur; ita tunc quoque, piis compluribus interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam evangelicam accedebant“. Et s. Augustinus⁶¹⁾: „Mortuus est Christus, non periit nomen ejus; mortui sunt martyres, multiplicata est magis Ecclesia, crescit per omnes gentes nomen Christi . . .“ Profecto, nisi quis opinione praedudicata seductus mundo ipsi, qui fuit testis illius martyrii, non crediderit, negare non poterit Ecclesiam ex persecutionibus primorum saeculorum invictam ac victricem prodiisse ac triumphum de adversariis suis egisse valde admirabilem. Quod autem de Ecclesia primaeva dictum est, licet praedicare de Ecclesia cujusvis saeculi. Invicta manebat omni tempore stabilitas ejus, invicta ejus fortitudo. Ita ne martyrio quidem Ecclesiam vinci posse quum probatum sit, eo minus causam, ad quam stabilitas ejus invicta atque constantia referenda sit, in ordini naturali quaerere licet. Juvat potius audire quod

⁵¹⁾ De nat. deor. III, cf. Liv. IX. 30; XXV, 1; XXXIX, 16. Sulp. Sev. sacrae hist. lib. II.

⁵²⁾ I. c. c. XV. cf. Tac. ann. XV, 44.

⁵³⁾ Adn. Hurter: Ad confessionem, forte legendum „ac confessione“ scil. damnati fuere sine ulla probatione sive ex aliorum testimonio sive ex propria confessione, quod essent christiani; vel „ob confessionem.“

⁵⁴⁾ L. c. c. XVI. Cf. Chrysostom. I. c. n. 13.

⁵⁵⁾ Tacit. Annal. XV.

⁵⁶⁾ Euseb. Histor. eccles. lib. III, c. 18.

⁵⁷⁾ Euseb. I. c. lib. VIII. c. 4. et De vita Constantini c. 13.

⁵⁸⁾ Apol. c. 50.

⁵⁹⁾ C. 7.

⁶⁰⁾ Serm. IX. De legib.

⁶¹⁾ Enarr. in Psal. 40.

auctor „epistolae ad Diognetem“ ad verba supra laudata adjungit: „Haec“, ait, „non videntur ab homine fieri, haec sunt Dei potentia, haec adventus ejus sunt indicia“. Idem explicans Minucius Felix sic disserit⁶²⁾: „Et quot ex nostris non dexteram solum, sed totum corpus uri cremari sine ullis ejaculatibus pertulerunt, quum dimitti praesertim haberent in sua potestate? Viros cum Macio, vel cum Aquilio, aut Regulo comparo? Pueri et mulierculae nostrae cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, o miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit poenam subire aut tormenta sine Deo possit sustinere“. Simili modo ratiocinantur et alii.⁶³⁾

Et quicumque vere christianus est, id semper persuasum habet, in martyrio, quod omni aetate invenitur in Ecclesia, divinam ac supernaturalem vim vel Dei assistentiam, e qua redundet Ecclesiae ipsius invicta stabilitas, sole clarius elucere.

Proximum jam est, ut de „eximia sanctitate“ Ecclesiae disputem quantique ea sit momenti, exponam. Sed quum haec materia gravior sit, quam quae paucis verbis absolvi possit, in hac quidem commentationis meae parte tractandam eam non aggrediar, verum, si Deus voluerit, in altera dissertationis particula explicabo.

Ut vero ne huic quidem commentationis parti desit conclusio quaedam et, ut ita dicam, jam hoc loco aliquos laboris fructus percipiamus, breviter saltem, quo spectet nostra argumentatio, ostendatur oportet. Primum monemus, summam disputationis nostrae consistere in eo, quod admirabilem propagationem atque invictam stabilitatem Ecclesiae supernaturali Dei assistentiae prorsus tribuendam esse neque alio modo explicari posse cognovimus. Hinc autem sequitur, Ecclesiam ipsam esse divinam institutionem; quod quidem verum, quamquam non est ita evidens, ut nobis primaria rationis principia quae dicuntur, sunt evidentiā, evidenter tamen est credibile atque credendum. Quae quum ejusmodi sint, is qui Ecclesiam tamquam divinam amplectitur vel divinam esse credit, sufficiens habet motivum ad credendum credendoque praestat vere rationabile obsequium, vel, ut Synodi Vaticanæ verbis utar, Ecclesia ei per se ipsa, nempe ob suam admirabilem propagationem . . . invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Neque tamen latet me, esse alia motiva credibilitatis efficacissima ut miracula Christi et, notas, quibus ipse instruxit Ecclesiam suam, id quod jam ineunte commentatione commemoravi; sed hoc motivum credibilitatis, de quo instituta est nostra quaestio, Ecclesiam nempe ipsam, magni momenti esse plurimique ducendum, Vaticanum ipsum declaravit; ait⁶⁴⁾ enim: „Quo (sc. motivo) fit, ut ipsa (Ecclesia) veluti signum levatum in nationes et ad se invitet qui nondum crediderunt et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur“. Et quam grave praesertim nostris

⁶²⁾ L. c. 37.

⁶³⁾ Ex. gr. Origenes, c. Cels. I. 27. „(Nam) vel ab initio“, ait, „nemo non impedire conatus est, quominus Jesu doctrina per totum orbem spargeretur, reges cujusque aetatis, exercituum praefecti et duces quicumque, ut verbo dicam, aliqua potestate praediti fuerunt, praeterea qui in urbibus auctoritate pollebant, milites, populi. Hos omnes vicit, quippe quae doctrina Dei erat, et natura hujusmodi quae nec impediri posset. Lactant. L. 5. c. 13. „Nam, quum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimat, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare“. Et s. Hieronymus: „Quum quis viderit, tanta perseverantia stare martyres atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, subit tacita cogitatio, quod, nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata et divitiis studens ac secreta confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate et siti. Hic triumphus est Dei Apostolorumque victoria“. Ep. 120, 10. Chrysost. I. c. n. 12. Leo Magnus, Serm. 82 in natali ss. Petri et Pauli Apostolorum: Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur.

⁶⁴⁾ L. c.

diebus sit hoc motivum credibilitatis, in quo exponendo versatus sum, doceamur, si placet, his praeclarissimi Theologi verbis⁶⁵): „Die hier ausgesprochene und auch vom Vaticanum ausdrücklich definirte Lehre ist von sehr tiefgreifender Bedeutung, namentlich heutzutage, wo die göttliche Mission Christi selbst so vielfach angegriffen wird. Auf protestantischer Seite ist gerade daraus, dass man mit der göttlichen Mission der Kirche auch die fortdauernde, lebendige, übernatürliche Manifestation Gottes in der Kirche und durch die Kirche leugnete, auch die Vernichtung des Glaubens an die göttliche Mission Christi hervorgegangen . . . Auf katholischer Seite hat man dagegen in manchen Apologien dadurch, dass man Christenthum und Kirche historisch-genetisch rechtfertigen wollte, theilweise den festen Standpunkt der gegenwärtigen, offenkundigen, übernatürlichen Thatsachen zu wenig hervorgekehrt . . . Daher hat das Vaticanum einem tiefen Zeitbedürfnisse entsprochen, indem es erklärte, dass die Kirche durch sich selbst, d. h. in ihrem offenkundigen Dasein, Erscheinen und Wirken, „ein grosses und stetiges Motiv der Credibilität des christlichen Glaubens überhaupt und insbesondere ein unwidersprechliches Zeugniß ihrer eigenen göttlichen Mission“ sei, ohne jedoch darum dem historisch-genetischen Beweis für die göttliche Mission Christi und die auf diese gegründete Mission der Kirche seinen Werth abzusprechen“. Ceterum nova persuadendi vis, quae inest in hoc motivo credibilitatis, in eo cernitur, quod etiam ab rudibus facile potest cognosci vel, ut aiunt Theologi ad schema de doctrina catholica, „fidelibus etiam citra arduas et scientificas inquisitiones est munimentum firmissimum, ut maneant in eo quod audierunt ab initio⁶⁶) . . .“

Quodsi Ecclesiam nostram in quantum est motivum credibilitatis, quasi ante oculos nostros positam videmus, non est, quod, nos Jesum Christum auctorem Ecclesiae oculis non vidisse, quantumvis leviter queramus; immo vero cum s. Augustino⁶⁷) loquamur atque gloriemur: „(Apostoli) viderunt (Christum) patientem, viderunt pendentem; videbant post resurrectionem praesentem viventem. Quid ergo non videbant? Corpus, id est, Ecclesiam. Illum videbant, illam non videbant. Sponsum videbant, sponsa adhuc latebat. Promittat et ipsam . . . Hoc nondum videbant discipuli: Ecclesiam per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem, nondum videbant. Caput videbant; et de corpore capiti credebant. Per hoc quod videbant, quod non videbant credebant. Similes illis sumus et nos: videmus aliquid, quod ipsi non videbant: et non videmus aliquid, quod ipsi videbant. Quid nos videmus, quod ipsi non videbant? Ecclesiam per omnes gentes. Quid non videmus, quod ipsi videbant? Christum in carne constitutum. Quomodo illi illum videbant et de corpore credebant, sic nos corpus videmus, de capite credamus. Invicem nos adjuvent visa nostra. Adjuvit eos visus Christus, ut faturam Ecclesiam crederent: adjuvit nos visa Ecclesia, ut Christum resurrexisse credamus. Totus Christus et illis innotuit et nobis innotuit: sed totus ab eis non est visus nec a nobis totus est visus. Ab eis caput est visum, corpus creditum: a nobis corpus visum, caput creditum. Nulli tamen deest Christus: in omnibus plenus est“.

⁶⁵) Scheeben, Dogm. I. p. 313.

⁶⁶) Acta et Decreta sacrorum conciliorum recentiorum, Collectio Lacensis p. 533 IIa, ubi et hoc legitur: „ . . Divina bonitas et sapientia in ordine providentiae supernaturalis disposuit Ecclesiam catholicam iis insignem caracteribus, ut in ea citra scientificas inquisitiones, quibus longe maxima pars hominum idonea non est, etiam rudes habeant facile cognoscibile compendium motivorum credibilitatis ad plenam certitudinem, quae poterunt per disciplinas apologeticas distinctiori et ampliori explicatione confirmari; sed non potest rationibus oppositis induci prudens dubium ad illam certitudinem habefactandam“.

⁶⁷) Serm. CXVI de verb. Evangelii s. Lucae 24. (Bassani MDCCCII. tom. VII et VIII.)

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit quinquies per hebd. hora IX.
- II. Jus canonicum tradet bis per hebd. horis def.
- III. De arte christiana disseret semel per hebd. hora def.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

- De Deo mundi creatore, de hominis statu primitivo, de protoparentum lapsu deque peccato originali dogmatice disseret quinquies in hebd. hora X.
- II. Repetitorium dogmaticum instituet examinandi et disputandi causa semel in hebd. hora X.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Antiquitates sacras Hebraeorum tradet semel per hebd. hora def.
- II. Selecta vaticinia Jesajae prophetae interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
- III. S. Pauli utramque epistolam ad Corinthios exponet ter per hebd. hora VIII.
- IV. Repetitiones exegeticas instituet horis def.

Dr. Jul. Marquardt, P. P. O.

- I. Theologiae moralis partem specialem tradere perget quinquies per hebd. hora XI.
- II. Repetitiones et disputationes de selectis ethicae christianae capitibus instituet semel per hebd. hora def.
- III. Patrum apostolicorum vitas et scripta explicabit hora def.

Dr. Ant. Kranich, P. P. E.

- I. Encyclopaediam s. theologiae docebit semel per hebd. hora def.
- II. Apologetices alteram partem tradet bis per hebd. hora VII.
- III. De s. sacramentis disseret ter per hebd. horis def.



B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O., h. t. decanus.

- I. Inscriptiones christianas cum commilitonibus leget bis hebdomade h. IX.
- II. De arte antiqua disseret bis hebdomade h. IX.
- III. Exercitationes philologas moderabitur h. d.

Dr. Jos. Krause, P. P. O.

- I. Psychologiam tradet ter p. hebd. hora X.
- II. Metaphysicam docebit ter p. hebd. hora X.
- III. De arte catechetica disseret bis p. hebd. hor. deff.

Dr. Franc. Niedenzu, P. P. O.

- I. Botanices conspectum exhibebit bis hebdomade hora VIII.
- II. Exercitationes botanicas microscopio instituet semel hebdomade hora definienda.
- III. De geometria analytica disseret ter hebdomade hora VIII.

Dr. Victor Röhrich, P. P. E.

- I. Historiam Prussiae usque ad annum 1525 enarrabit ter hebdomade hora XI.
- II. Historiam Warmiensem tradere perget semel hebdomade hora XI.
- III. Plastwici chronicon de vitis episcoporum Warmiensium cum commilitonibus leget hora definienda.

Dr. Joh. Uebinger.

- I. Alteram de litteris philosophicis medii aevi partem tractabit bis hebd. hora VII.
- II. Relationes inter philosophiam et poesim Germanorum ostendet semel hebd. hora VII.
- III. Exercitationes et repetitiones philosophicas instituet bis hebd. hora VII.

Publica doctrinae subsidia.

- I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
 - II. Apparatum arti christianae inservientem custodit **Prof. Dr. Dittrich**.
 - III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt**.
 - IV. Instrumenta collectionesque, quae ad physicen, mathematicam, astronomiam et historiae naturalis disciplinas pertinent, asservat necnon horto botanico praeest **Prof. Dr. Niedenzu**.
-

ORDINIS PHOSPHORUM

Dr. Willh. Weiskopf, P. O. 1. hennu

- I. Phosphor...
- II. Phosphor...
- III. Phosphor...

Dr. Jos. Krause, P. O.

- I. Phosphor...
- II. Phosphor...
- III. Phosphor...

Dr. Franc. Nibben, P. O.

- I. Phosphor...
- II. Phosphor...
- III. Phosphor...

Dr. Victor Rührsch, P. O.

- I. Phosphor...
- II. Phosphor...
- III. Phosphor...

Dr. Joh. Ebeling

- I. Phosphor...
- II. Phosphor...
- III. Phosphor...

Publia doctrinae subsidia

- I. Phosphor...
- II. Phosphor...
- III. Phosphor...
- IV. Phosphor...
- V. Phosphor...
- VI. Phosphor...
- VII. Phosphor...
- VIII. Phosphor...
- IX. Phosphor...
- X. Phosphor...
- XI. Phosphor...
- XII. Phosphor...
- XIII. Phosphor...
- XIV. Phosphor...
- XV. Phosphor...
- XVI. Phosphor...
- XVII. Phosphor...
- XVIII. Phosphor...
- XIX. Phosphor...
- XX. Phosphor...